

Q.K.
411,
14.

II
393

DISPVTATIO HISTORICO MORALIS

DE
CHAMO
MALEDICTO

QVAM DEO PROPITIO
ATQVE
INCLVTO PHILOS. COLLEGIO
ANNVENTE
PRO LOCO
IN EODEM ALIQVANDO OBTINENDO
POSTRID. CALEND. APRIL.
PVBLICE DEFENDET
M. PHILIPPVS OLEARIVS,
LIPS.

L I P S I A E,

Literis IMMANUELIS TITII.
Ob Icc VII.




DEPLATIO HISTORICO MORATIS


de
CHAMO
MALEDICTO

GHAM DEO MORTIS
ALIAS
IMCVATO PHILOS. CONVOCIO

PROLOCU
OCCLAVIA OFICIA VITINIS
M. PHILIPPI OLLARIUS

1612 F 1 A
LITERARIA
TYPIS ET IMPRIMATORIIS
M. PHILIPPI OLLARIUS





CONSPECTVS DISSERTATIONIS
DE CHAMO MALEDICTO.

- | | |
|---|--|
| §. 1. Dissertationis argumentum & partitio. | §. 11. Haec sententia refellitur. |
| §. 2. Chamus fuit filius Noachi natu minimus. | §. 12. Quod Chami delictum fuerit, exponitur. |
| §. 3. Opinio Juriae, Chamum fuisse Melchisedecum, recensetur. | §. 13. Hoc delictum esse levissimum, nonnulli statuunt. |
| §. 4. Opinio Juriae refutatur. | §. 14. Horum argumenta sub examen revocantur. |
| §. 5. An Chamus idem fuerit cum Zoroastre? | §. 15. A Chami delicto poetae occasio nesciunt singendi legem à Saturno latam. |
| §. 6. An Chamus fuerit inventor Alchymiae? | §. 16. Hinc etiam Proverbium natum: Verenda Patris detegere. |
| §. 7. Chamus inter gentiles pro Deo cultus est. | §. 17. Vnde Noachus resciverit factum Chami? |
| §. 8. Chamum Parentem castigasse, nonnulli tradiderunt. | §. 18. Cur in Canaanem Noachus vibraverit execrationem? |
| §. 9. Pseudo-Berosi figmentum, Chamum patrem carmine magico sterilem reddidisse. | §. 19. Chrysostomi & aliorum hacte de resentia affertur. |
| §. 10. Hermanni von der Hardt sententia, Chamum thoro parentis injuriam intulisse proponitur. | §. 20. Probabilissima sententia proponitur. |
| | §. 21. Ipsa Noachi execratio pluribus excutitur. |

S. I.



Dissertationis
argumentum
& partitio.



E Chamo Maledicto differere animum induximus, tum quod hoc thema a studiis nostris sacrarum literarum evolutioni potissimum consecratis non alienum videatur; tum quod veterum Patriarcharum mox à condito mundo viventium res gestas excutere incredibilem semper voluptatem animo nostro attulerit. Ut vero sine praevia verborum ambage ac peculiari praefatione nos statim ad scopum ipsum accingamus, tria potissimum in hoc themate pertractando capita nobis explicanda sumimus. Nimirum ut distincte & ordinate procedamus, primo de persona Chami, deinceps de Chami delicto & tandem de poena delictum subsecuta pro ingenii viribus, quas admodum exigua esse satis intelligo, commentaturi sumus.

§. II.

Chamus fuit
filius Noachi
natu minimus.

Gen. IX, 24.
Heideggerus
in hisp. sacra
patriarchar.
Ex. XX. §. 4.

Quod ad personam Chami attinet, eum Noachi filium, natu minimum fuisse, sacra scriptura disertis verbis testatur. Quamvis enim referente Doctissimo Heideggero non tantum Hebraei quidam, R. Levi Ben Gerson, Aben Esra, aliique, verum etiam ex Christianis Theodoritus, Procopius - Gazaeus, Josephus Scaliger, Ch. Schotanus illos imprudenter secuti Chamum secundum inter filios Noachi numerent: eos tamen arbitrario scripturae ordine deceptos esse, Vir Doctus bene iudicat. Cumque auctores modo allegati filium illum natu minorem, cuius Gen. IX. mentionem fieri diximus, non tam de Chamo filio, quam de Canaane nepote Noachi exponere velint: illud tamen absque ratione fieri idem Heideggerus confirmat, quoniam scilicet hoc modo Canaan a ceteris ex Semo & Japheto nepotibus distingvi non possit, praeterea que sit filius natu minor, qui perpetrativit scelus, id vero Chamum perpetrasse clare commate 22. indicari. Et quamvis Chrys-

so-

Iostomus ac cum eo Philo Judaeus negent; ex citato Genesios loco probari posse: Chamum fuisse natu minimum Δεύτερος γένους, inquit Chrysostomus, καὶ περὶ τοῦ Ιακώβου. Ἀλλὰ εἰ καὶ τὸν ἡλικιανὸν περὶ τοῦ Ιακώβου ἔνειναι, αὐτὸν τὴν γνώμην περὶ τοῦ Ιακώβου αὐτὸν ἐξέβαλεν. Secundus enim erat εἰς antecedebat Japhetum. Quamvis autem aetate illo prior erat, voluntate tamen minor, εἰς temeritate eum excessit: nobis tamen minime persuadefit, ut a litera scripturae recedentes huic ejus sententiae forsan nimis subtiliter excogitatae subscribamus. In primis cum haud Noachus, a quo tale quid fortasse affectu dictum videri poterat, sed ipse historiographus Moses Chamum filium natu minorem vocaverit.

§. III.

Sed forsitan haec tanti non sunt, ut iis ulterius immoratur, quapropter hanc genealogicam controversiam mitten-
tes nec non eam, quae de fratribus ejus Semo & Japheto, utri scilicet primogenitura tribui debeat, ab interpretibus moveri solet, utpote quae ad institutum nostrum minus pertineat: ad alia potius progrediamur, quae de persona Chami in medium afferre constituimus. Non possumus autem non hic mentionem facere recentissimi cuiusdam scriptoris Petri Juriae, qui in Historia Critica Dogmatum & cultuum bonorum malorumque, in Ecclesia ab Adamo usque ad Christum receptorum Gallicā linguā tribus circiter abhinc annis in lucem edita συγγραψαν σententiam, quae forsan nemini adhuc in mentem venerat, de Chamo tueri conatus est, quasi scilicet Melchisedecus, cuius auctor epistolae ad Hebraeos meminit, non alius quam ipse Chamus fuerit. Quam tentantiam paulo pernitius hic loci excutere, ab instituto nostro non alienum fore existimamus. Nimirum supponit Juriae, Melchisedecum unum ex tribus Noachi filiis fuisse, istud vel exinde colligi posse, quod dicatur sacerdos Dei summi, quem titulum singularis

*Opinio Juriae,
Chamum fuisse
Melchisedecum,
recensetur.*

Parte I. c. IX.

έξοχης indicem non cuivis primogenito sed inter primogenitos primo competere contendit. Semum autem eum non fuisse, cum diserte testetur epistola ad Hebreos, diversae eum & Abrahamum extitisse familiae, Semusque praeterea cum suis non Cananaeam, quam Melchisedecus incolebat, sortitus fuerit, sed Chaldaeam; nec Japhetum, qui extremas Asiae oras & Europam cum suis occupaverit: Chamum ergo reliqui, quem Melchisedeciano indui sacerdotio, ne paradoxum videatur imo impium, prolixam Chami Apologiam instituere ejusque peccatum pro levissimo venditare non dubitat. Huc accedere, quod & profana monumenta istam de Melchisedeco opinionem firmaverint. Sanchoniatonem enim cuiusdam *Sidic* vel *Sedec* meminisse, qui sine dubio sit Melchisedec; hunc Dioscurorum patrem eundem dicere, Carybum item & Corybantum, eos vero filios Jovis vulgo statui, Jovem porro Viris Doctis Chamum esse: Sedecum ergo vel Melchisedecum eundem esse cum Chamo.

S. IV.

Opinio Juriae refutatur.

Haec omnia ingeniose admodum a Doctissimo Juriae excoxitata esse, nemo temere inficias ibit. Interim tamen unum & alterum contra argumenta ab ipso prolata excipi posse minime dubitamus. Primo enim quis non intelligit, meram esse conjecturam nullo plane fundamento innixam, quando Juriaeus asserit, titulum sacerdotis summi Dei esse titulum dignitatis nemini alii competentem, nisi iis, qui sacerdotio eminentiori gradu fungebantur. Sed unde quae oportet probare poterit, hunc titulum singularis *έξοχης* indicem fuisse? cum his verbis id potius intendi videatur, ut, quoniam Orientalibus multi dicebantur אלהים *elohim* & אלים *Elim*, Cananaei intellegent, quem Deum Melchisedecus coleret, hinc dicebat se Dei summi seu נָבָי sacerdotem esse, ejus inquam Dei, qui coeli & terrae summus est Dominus. Quemadmodum et-

etiam in aliis locis scripturae sacrae describitur verbi gr. Ps. XCVII, 9. *Tu Jehova Deus altissimus יְהוָה אֱלֹהִים וְעַל כָּל הָאָרֶץ* supra totam terram omnibus Diis multo superior. Etenim in fontibus non dicitur, quod Melchisedecus fuerit sacerdos Dei summus, quo modo Juriaeus haec verba accipere videtur, sed quod fuerit sacerdos Dei summi, quo sensu LXX. interpretes eadem reddiderunt. Ex hoc ipso Abramus, qui eundem colebat Deum, Melchisedeci religionem haud aliam ac suam esse intelligens summum ei honorem exhibebat. Et quid quaeſo num alii sacerdotes sacerdotium non tam eminenti gradu, qualem Juriaeus fingit, possidentes non erant sacerdotes Dei altissimi? Hic sane erat titulus omnibus iis competens, qui in vero Dei cultu ab idololatriſ jam tum temporis invaleſcentibus diſcerni cupiebant. Ex quibus luculenter patet, ex hoc titulo faltem necessario non sequi, ut Juriaeus ſibi perſuadet, Melchisede- cum fuiffe unum ex tribus Noachi filiis. Quod ad Semum attinet, Juriaeo haud diſſiculter largiri poſſumus, eum non fuiffe Melchisedecum, quamvis plerorumq; ex Ebraeis & Christianis doctoribus auctoritate haec ſententia firmata fuerit. Nam exinde non ſequitur: Chamum fuiffe Melchisedecum, ſi Semus vel Japhetus non fuerit. Interim tamen hoc diſsimulare non poſſumus, primum ejus argumentum contra Semum prolatum infirmo admodum talo niti. Quo minus enim Semum pro Melchisedeco habeat, hoc in primis in cauſa eſſe ait, quod Ebr. VII, 13, alterius generis fuiffe dicatur, qui decimas ab Abrahamo acceperit. Ita enim verba iſta reddit: *que celui, qui n° estoit pas de même race avec eux avoit dimé Abraham..* Et hinc porro concludit, cum Abrahamus ex posteris Semi fuerit, non potuisse eum alterius generis vocari, ſi quidem Melchisedecus ipſe fuiffet Semus. Existimat hic summe Reverendus D. Buddaeus, nullam cauſam addeſſe, cur *Juriaeus vocem φυλῆς*, quae in Graeco eſt, tranſtulerit, per *ra-* in differt. de
peccatis typi-
cis Jenae pu-
blicata.

DISPUTATIO

ce, quae genus significat. Sane & Joannem Clericum & Richardum Simonium utrumque in versione Gallica novi testamenti reddidisse per *tribu*. Quam significationem & loco huic exacte convenire, cum hoc saltem velit Paulus apostolus, Melchisedecum non fuisse ex tribu Levi, ut recte etiam Jo. Braunius observaverit. Verum an ea ratione dubium penitus eximatur, judicium esto cordatorum. Si enim, ut a viris hisce doctris supponitur, συγκεκριτικός instituatur Abrahami & Melchisedeci, non video, quomodo ad tribum Levi respici possit, (quae nondū existebat, & cuius nec Abrahamus erat ipse) cum dicitur Melchisedecum ἐν αὐτῷ Φυλῆς non fuisse cum Abrahamo. Haud paulo igitur magis luculenter istud Juriaeum argumentum confutari posse putem, modo attendatur, φυλῆς εἶτε εἰς fuisse non Melchisedecum dici, quam sit Abrahamus, sed de Sacerdotum V. T. & Christi diversa φυλῆ esse sermonem, de quo dictum sit, eum sacerdotem fore secundum τάξιν Melchisedeci, ut clarissime ex commate 13. capit. VII. Epistolae ad Ebraeos liquet: Et ne dubium esse possit, in sequente versu id firmat Apostolus, ἀπόδημον esse inquiens Christum ex tribu Juda esse, cui tribui sacerdotium nunquam a Mōse concessum sit. Quemadmodum & ab hac μεταθέσει Sacerdotii, ex tribu Levi ad tribum Judae, in v. 12. ad μεταθέσιν & νέμα argumentatus fuerat. Quo admisso plane nihil in isto loco invenit Juriaeus, ex quo concludat Melchisedecum Semum haud fuisse. Dum vero haec scribo, video, Juriaeum non ad v. 13. uti Doctissimus Buddaeus cum Braunio sibi persvadet, sed ad v. 6. respexisse. Vbi Apostolus de Melchisedeco dicit: ὁ δὲ μὴ γενεαλογίας εἴχε αὐτῷ, δεδεινάτως τὸν Ἀβραὰμ. Verum haec quoque verba Juriaei sententiam nihil juvare firmiter sum persvasis. Cum enim his verbis Apostolus nil aliud innuere velit, quam Melchisedecum ex filiis Levi, de quibus v. praec. locutus fuerat, genealogiam non



nō deduxisse, quisque facile videt, idem quoque de Semō affirmari posse, cum Semus non ex filiis Levi sed vice versa filii Levi ex Semō genealogiam habuerint, in primis cum Melchisedecus dicatur ἀγενεαλόγης, non proprietate, id quod Juriaeūs lubens agnoscit, sed propte rea quod scriptura de ejus genere prorsus tacuerit. Unde concludo, Melchisedecum vel propterea μὴ γενεαλογέμενον ex filiis Levi dici posse, quod scriptura ipsum ad hoc genus non referat, sed eum nomine typi plane ἀγενεαλόγητον fuisse affirmet. Praeterea uti jam diximus, faciamus, Melchisedecum Semum non fuisse, num ideo statim Chamus fuit? Minime gentium. Nisi forsitan ultimum argumentum ex Mythologicis desumptum nos inducat, ut hoc credamus. Ast vere or, ne huic fundamento nimis lubrico parum tuto insistamus, ex quo enim ingeniosi auctores demonstrarunt, se in Mythologicis ex quolibet quidlibet facile posse, hujus generis argumentis, nisi alia quoque suppetant, parum vel nihil roboris inesse haud immixto judicamus. Quo accedit, quod totum istius Sanchoniatonis fragmentum, ex quo ultimum hoc Juriaeī argumentum desumitur, à multis pro scripto suppositio habeatur, id quod Clariss. Dodwellus in peculiari libro de hoc arguento conscripto multis probare conatus est. Quae cum ita sint, cum Doctissimo Buddeo illorum mihi haudquam displicet sententia, qui ingenuus, quis Melchisedecus fuerit, se nescire profitentur, & curiosius investigare sibi religioni ducent, quae scriptura sacra nobis non revelavit.

§. V.

Postquam recentissimam quandam opinionem de Chamo nostro adduximus: jam vetustiorem quandam eidem subjugere placet. Fuerunt scilicet inter Christianos cum primis veteres, qui Chamum eundem cum Zoroastre Magicarum artium inventore esse statuerunt. Sic enim Auctor Reco-

B

gni-

An Chamus
idem fuerit
cum Zoroastre

titulus libri
Dabellii est :
A Discourse
concerning
Sanchonian
Phoenician
scriptor.



gnitionum libro quarto Magiam scribit, hominibus ante diluvium a mulierosis illis angelis traditam, Aegyptiorum conditorem Mesraium didicisse a Chamo patre; & Chamum a posteris hujus artis admiratoribus Zoroastrem seu vivum astrum propterea fuisse dictum & pro Deo habitum. Id secu-

Collat. 8. Cap.

21.

tus Cassianus *Quantum*, inquit, *antiquae traditiones ferunt*, *Cham filius Noae, qui superstitionibus istis & sacrilegis fuit artibus ac profanis infectus, sciens nullum se posse super his memorialem librum in arcum prorsus inferre, in quam erat cum patre justo ac sanctis fratribus ingressus, scelestas ac profana commenta diversorum metallorum laminis, quae scilicet aquarum inundatione corrupi non possent, & durissimis lapidibus insculpsit, quae diluvio peracto, eadem qua celaverat curiositate perquirens, sacrilegiorum & perspicuae nequitiae seminarium transmisit in posteros.*

Hist. Schol.

22.

Eandem rem itidem confirmit Petrus Comestor, qui *Chamum Noae filium eundem esse ait atque gentilium Zoroastrem, eumque cum in Thracia regnaret, invenisse artes magicas; ut & septem artes liberales, quas in quatuordecim columnis scriperit, septem nimirum aeneis adversus aquarium illuviem, totidemque lateritiis contra ignis incendia.* Et hinc sine dubio factum, ut liber, qui adhuc hodie circumfertur, elementa ac praxin artis necromanticae continens Chamo adscriptus fuerit, cuius *Cicum Asculanum in commentariis, quos edidit in sphaeram, meminisse ait Sextus Senensis, ejusq; configendi occasionem ex iis, quae e Cassiano modo allegavitimus, ortam statuit.* Qua occasione silentio praeterire non possumus, alium adhuc propheticum scilicet librum a Basilidianis Chamo adscriptum fusile, ex quo Pherecydem in libro de natura Deorum nonnulla desumisse ex Clemente Alexandrino manifestum evadit. Sed utrumque, tum quod Chamus non idem fuerit cum Zoroastre, tum etiam quod magiam non invenerit, solide evincit Doctissimus Bochartus, utpote qui demonstrat, Chamo multis seculis

*2.2. Bibl. san-
ctae.*

*Clem. Al.
I. VI. Strom.*

p. 643.

*Phaleg. I. 4. p.
205. seq.*



lis recentiorem esse Magum illum Zoroastrem, cuius oracula Graece edita cum Pselli & Plethonis scholiis circumferuntur. Quem plerosque scriptores propterea aequo fecisse antiquorem, quod Magum illum confundant cum Bactrianorum Rege Zoroastre, Nino aequali; cum tamen Ctesias & ex eo Diodorus, Bactrianorum Regem, in quem Ninus dimicavit, Oxyartem apparet, minime vero Zoroastrem, neque Magum fuisse dicat, aut viribus hostium magicas artes opposuisse; quamvis hoc bellum referat multo pluribus quam quisquam alius veterum. Et quamvis concedatur Bactris regnasse Magum Zoroastrem; hoc tamen nihil ad Chamum Noae filium pertinere, quippe cui Bactriana non obtigerit, sed Africa, & Asiae portio in Africæ finibus a Bactris remotissima. Itaque ut a Zoroastre Oxyartes, ita Cham ab utroque plane sit diversus. Sed plura hinc de re apud ipsum Bochartum legi poterunt, quo lectores jam nostros ablegamus.

§. VI.

Sed non magicarum tantum artium inventio Chamo tribuitur, sed Alchymiae quoque auctorem eundem esse quidam contendunt. Quamvis enim artis hujus incunabula altius adhuc nonnulli repetant, a Tubalcaino nimis metalorum fabro: quem Chymicum fuisse inde conjiciunt, quod in fragmento Henochiano una cum fabrilibus artibus, quas ille exercuit, Έχετος ἐργασίαν quoque Exaël Angelus homines edocuisse dicatur: alii tamen ad Chamum origines illius referre videntur malle. Cuius quidem rei nescio an aliud fundamentum habeant, praeter vanam quandam Etymologiam. Chemiam enim quasi Chamiam dici volunt ab auctore suo Chamo, & articulo Arabico adjecto Alchemiam. Verum longe recentius esse Alchemiae nomen ac inventum, utpote cuius ante Julium Firmicum nemo meminerit, jamdudum Viri docti observarunt, qui rectius istud nomen ex Arabum

*An Chamus
fuerit insen-
tor Alchymiae?*

*de scientiis
Mathematicis
l. 3, c. 15.*



huic arti praecipuam semper operam navantium lingua deri-
varunt. Quamvis enim Gerh. Joannes Vossius Graecam es-
se vocis Chemiae originem persuadere nobis velit, altera ta-
men sententia probabilior nobis videtur, quod ipse Vossius
diffiteri haud possit: ab Arabibus istam artem ad nos fuisse
derivatam.

*Vossius de Phi-
losophia c. IX.*

*Chamus inter
gentiles pro
Deo cultus est.*

Plut. in Iside.

*B. Marsham
Can. Chron.
p. 23.*

Ceterum Chamus inter gentiles sub variis nominibus
pro Deo cultus est. Nam primo Ægyptii eum sub titulo Jovis
Hammonis adorarunt. Notum enim est, Aegyptios origi-
nem a Chamo & Aegyptum nomen a Misraim Chami filio ha-
buisse, quorum ille Hammon dictus est, hic *Mērē*, vel Osiris,
& ille in Ariete hic in Tauro cultus. Indeque natum videtur,
quod in Zodiaci signis Aries primum locum, Taurus secun-
dum teneat; Aegyptiis scilicet ita ordinantibus, qui Chal-
daeos in Astrologiae studio proxime sequebantur. Quid
quod Aegyptus non solum a Chami filio Misraim, verum et-
iam antiquis temporibus ab ipso Chamo nomen habuerit,
cum non solum sacra scriptura Aegyptum passim appellat ter-
ram Cham, sed etiam teste Plutarcho Chemia ab antiquis no-
minata fuerit. Et quid mirum, hanc regionem a Chamo no-
men habuisse, cum ipsi in divisione orbis terrarum haec regio
obtigerit. Tradunt enim Noachum, cui terra ante diluvium
cognita erat, velut totius orbis haeredem a Deo designatum,
tribus suis filiis universum mundum distribuisse: Chamo au-
tem obtigisse terram a Rhinocorura usque ad Gades versus
meridiem. Quae traditio eo usque invaluerat, ut Philastrius
Brixiensis pro haereticis habere non dubitaverit negantes,
quod beatus Noachus suis filiis tribus post diluvium mundum
diviserit. Quamvis igitur de Ammonis nomine Ægyptii,
quos hujus vocis significatio latuit, multa commenti fuerint;
abunde tamen patet, illud *Dei nomen factum esse ex Cham-*
vel

vel *Ham* mollito sono Hebraeae aspirationis. Qui autem Afris & Aegyptiis Ammon, idem Syris & Babylonii dicitur Belus. *Zεὺς Βίλης* Sanchoniatoni unus est e tribus Saturni filiis, Noachum autem esse Saturnum ejusque tres filios Neptunum, Jovem atque Plutonem, Viri docti observarunt, id quod pluribus deduxit doctissimus Bochartus, ubi historiam de Noacho ejusque tribus filiis cum fabula de Saturno & Saturni tribus liberis accurate contulit, & Chamum eundem esse cum Jove multis rationibus probavit.

*ap. Euseb.
pracpar. Es.
p. 31.*

Phaleg c. 1.

S. VIII.
Sed haec de persona Chami sufficient. Jam ad delictum ejus, quo paternam provocavit execrationem, progredi amur. Multa hic fabulantur tum Judaei tum alii, qui de hoc facto aliquid memoriae prodiderunt. Sunt Judaeorum aliqui, ut Rabbi Levi Ben Gerson, qui Noachum a Chamo vel plane exsectum aut castratum fingant, ne quartum gigneret filium haereditatis participem. Quae fabula a Gentilibus desumpta esse videtur: legimus enim in Phornuto & aliis, Jovem patrem Saturnum execuisse. Quae quidem fabula ex ingeniosa Bocharti conjectura originem traxisse videtur ex his Gen. 9, 22. perperam intellectis: *Et vidi Cham pater Chanaan verenda patris sui & nunciavit.* Ibi enim & nunciavit hebraice est *Vajagged*, quod a serie orationis divulsum tum cum puncta vocalia aberant, legi potuit *Vejagod* & *abscidit*, tanquam a verbo *χαρά* quod excidere significat, maxime cum de carne agitur. Deut. 14, 1. 1. Reg. 18, 28. Jer. 16, 6. &c. Quin & locum admissi criminis poetas per ambages designasse Bochartus ait.

*Chamum pa-
rentem ca-
strasse, nonnulli
tradiderunt.*

in Gen. c. 9.

Notum enim esse, quod arca Noae in Gordiaeis montibus substiterit, hoc alio nomine quosdam vocare Corcyraeos. Hinc Alexander Polyhistor apud Eusebium: *τῷ Ἰπλοὶ τάτῃ κατακλιθέντοι σε τῇ Ἀρμενίᾳ, μέρος τῆς ἔως λέγεται εὐ τοῖς Κορκυρίοις ὄρεστης Ἀρμενίας διαμένον.*

Phaleg. p. 8.

in Chron. p. 8.

*in Armeniam declinasset, pars quaedam illius esse dicitur bodeique
in Armeniae montibus Corcyraeis. Itaque in Gordiana, quae
& Corcyra vel Corcyraea dicebatur, Noam aliquandiu degisse
verosimile esse, & inibi a Chamo traductum. Hinc poëtae
nominis aequivocatione delusi in Phaeacum insula Corcyra,
id contigisse volunt, quam & Harpen & Drepnanen aut Drep-
anon aliter vocant, quod ibi servaretur scilicet falx, qua Ju-
piter execuit patrem. Lycophron in Cassandra*

versu 76

*Νῆσον δὲ οὐκέτω συγχέεντι
Ἄργην περίστας μεζέων ηγεάνομον.*

*Adivit Harpen, insulam, quam præ omnibus
Saturnus odit partis abscissæ memor.*

*Harpen id est Corcyram. Scholia festes, τὴν Φαιακίαν νῆσον τὴν
Κέρπην γε, εἰ ἡ περιστέλλεν τὸ δέεταν εἰς ὁ Ζεὺς Κέρόν εξέτερθι.
Phaeaciam insulam Corcyram, in qua defossa erat falx, qua
Saturnum abscidit Jupiter.*

§. IX.

Pseudo-Berosi
figmentum,
Chamum pa-
trem carmine
magico steri-
lem reddidisse.

Ceterum jam memoratis de delicto Chami testimoniis
accedit Pseudo-Berosus Annii Viterbiensis, cuius libro tertio
ea non tantum, quae supra de Magia Chami diximus, si Diis
placet, confirmantur, sed & de ejusdem delicto insigni augen-
tetur fabula; Ipsa impudeniissimi illius impostoris verba haec
sunt: *Erat Noae filius ex tribus primis adolescentior Chem, qui
semper magicae & veneficae studens Zoroaster nomen consecutus
erat. Is patrem Noam odio habebat, quia alios ultimo genitos
ardentius amabat, se vero despici videbat. Itaque noctis oppor-
tunitatem, cum Noa pater madidus jaceret, illius virilia compre-
hendens taciteque submurmurans, carmine magico patri illusit;
simul & illum sterilem, perinde atque castratum effecit, neque
deinceps Noa foemellam aliquam fecundare potuit. Haec An-
nius Viterbiensis sub nomine Berosi, quibus multa alia faci-
nora a Chamo perpetrata subjungit: Quod scilicet publice
mor-*

mortale genus corruperit afferens ac re ipsa exequens, congre-
diendum esse ut ante inundationem, cum matribus, sororibus,
masculis, brutis, quovis alio genere. Quo tandem factum, ut
a Jano piissimo & castissimo principe ejectus sortitus fuerit co-
gnomen Esen Enua: significare autem Esen apud Scythes A-
ramaeos, infamem & impudicum: Enua vero incubum &
propagatorem. Verum haec omnia una cum reliquo Berosi
de Chami rebus gestis & morte absurdo commento deriden-
tur & a sincera historia jure meritoque rejiciuntur.

§. X. Ut compendium fabularum faciamus, aliam adhuc
sententiam recentissimi eiusdem Auctoris de Delicto Cha-
mi in medium afferre placet. Ille est Vir Doctissimus Her-
mannus von der Hardt, Professor Linguarum Orientalium in
Academia Helmstadiensi longe celeberrimus. Ille sibi per-
suadere non potest, tantum fuisse scelus filii, patrem videre nu-
dum, ut tantam ex eo promeruerit poenam, quae in nepotes
etiam redundaret. Hinc multo majus crimen sub his ver-
bis, quibus Moses in enarrando Chami delicto uititur, latere
autumat. Ipsi autem quam maxime probabile videtur, inju-
riam fuisse, a Chamo conjugali parentis sui Noachi thoro illa-
tam matre vel noverca violata. Idque ex contextu ipso &
consveto Scripturae stylo demonstrare contendit. Denuda-
ri enim honesto styli sacri charactere notare Venerem. Nu-
ditatemque patris ipsam esse uxorem patris probat ex Lev.
XVIII. 6. sqq. & c. 20. Vbi tum nuditas patris uxor vocatur
patris, nuditas fratri uxor fratri, nuditas patrui uxor patrui.
Videre porro nuditatem vel patris vel fratri vel patrui, thori
conjugalis, patris, fratri aut patrui jura usurpare. Ut ita ex-
empli Ruben & Absalom laxata a Chamo cupidinis frena ca-
ste notaverit & dannaverit Moes, furti occasionem demon-
strans, crapulam parentis. Detectum hoc scelus mox ab ali-
quo

Hermannus von
der Hardt sen-
tentia, Cha-
num thoro
parentis inju-
riam intulisse
proponitur.
S. Ephemer.
Philolog. Di-
scurs. II.

quo cognatorum fratribus foris agentibus. Qui intolerabilem hanc injuriam parentis thalamo illatam indignissime ferentes subito advolarint, ac utrosque Chamum cum Venere patris carne deprehenderint, in quos irati pallia sua conjecerint, sceleris a Chamo commissi testes futuri. Mox iterum, intacta illa relicta, egressos inde fratres postridie retulisse parenti, quas in ipsum & thalamum ejus commisisset injurias Cham filius minor. Qui injuriae & damni impatiens testamento caverit, Canaanem ex furtivo illo sed infelici amore vel incestu natum, ab haereditate omni esse excludendum: Semique & Japheti posteros, jus dominii in Canaanis nepotes meritos, admittere non debere, ut emergant unquam Canaanai. Ex qua justa Canaanis illegitimi filii exhaeredatione natum jus Semitarum in Cananaeos, omni possessione semper excutiendos ac in servitutem redigendos. Cujus testamenti executio multis demum post seculis per Israëlitas contigerit, Cananaeis tandem pulsis & caesis.

Haec sententia refellitur.

§. XI.

Hypotheses istas, quas haetenus commemoravimus, a praestanissimo Auctore docte & ingeniose admodum excoigitatas esse quis non videt? Interim tamen varia obstanta argumenta, quo minus huic sententiae calculum nostrum adjucere queamus. Primo enim a sensu literali nisi summa urgente necessitate non esse recedendum firmiter persuasi sumus. Idque in primis in libris Historicis fieri non debere inde patet, quod in iis res gestae plano & perspicuo stylo absque ullis involucris sive aenigmatibus proponantur. Alias si licitum fuerit ejusmodi interpretationes historiae Mosaicae afferre, & semel supponere, istas narrationes tantis obscuritatibus involutas esse, haud immerito veremur, ne eadem methodus in multis aliis locis explicandis adhibeatur, quin etiam usque ad historiam tentationis & lapsus proplastorum extenda-

datur, id quod jam multi facere sibi religioni non duxerunt. Deinceps multa in hac explicatione occurrunt, quae cum narratione Mosaica minus convenire videntur. Moses enim disertis verbis testatur, Noachum vino somnoque sepultum in medio tabernaculo denudatum jacuisse, ita quidem ut non ab alio sed a se ipso reiectus fuerit. In fontibus enim Hebraicis est לְנָסֶן in Hithpael significationis reciprocae, quod a plerisq; interpretibus *discooperuit vel retractit se redditur*. Ast vero ejusmodi denudationem, qualis hic describitur, significare injuriam thoro viri conjugali per alium furtim i latam nunquam probari poterit. Quod si enim Noachus se ipsum retexerit, exinde satis elucescit, nullam injuriam ejus thoro illatam his verbis indicari, cum praeterea ad ejusmodi actionem (venia sit verbis) duae personae requirantur, una, quae retegit, altera, quae retegitur. nisi forsitan in ipso Noachi corpore insignis aliqua turpitudo notetur, quam interpretes eloqui verentur, sed absit, ut de sanctissimo patriarcha talia vel nobis intentem veniant. Porro cum Historia Mosaica minus convenit, quando Cl. Auctor ait, hoc Chami furtum ab aliquo, quisquis is fuerit, cognatorum Chami fratribus, qui foris agebant, indicatum fuisse, cum Moses claris & perspicuis verbis affirmet, ipsum Chamum nuncium extitisse, qui fratribus id, quod modo viderit, indicaverit. Num vero probabile est, Chamum ipsum, si tale facinus, quale Vir Doctissimus ipsi affingit, patrasset, quasi soricem fese prodidisse? Illud quoque satis perispicere non possum, quomodo Semus & Japhetus nuditatem patris sui pallia sua injiciendo operuisse dici queant, cum ex sententia Viri Docti eam Chamus jam tegeret, adeoque hic actus plane supervacaneus fuisset. Huc accedit, quod Moses eos facie aversa id fecisse testetur, id vero etiam ipsorum.

scopum impedivisset, ideo enim, ait vir Doctus, ingredientes tabernaculum pallia, quibus erant amicti, in utrumque decumbentium injecerunt, ut sceleris a fratre & matre, vel noverca commissi certissimi testes esse possent. Iste scopus, inquam, ad irritum hoc ipso cecidit, cum Chamus postea factum negare & contra fratres excipere potuisse, eos nil nisi mendacia proferre, siquidem salva conscientia asseverare non possent, sese oculis suis Chamum in flagranti delicto deprehensum usurpare. Ultima denique verba, Semus & Japhetus nuditatem patris sui non videbunt, plane frustranea esse videntur, si sententiam Viri Docti amplectamur. Iste enim haec verba nil aliud indicare judicat, quam quod hi duo fratres matrem suam, non attigerint, non contaminaverint. Sed quid opus erat his verbis, si verum est, quod Vir doctus contendit, illud per se patebat, neque enim fieri poterat, cum Chamus tum temporis locum jam occupasset, nec etiam verosimile sit, ulli lectori in mentem venire posse, quasi Semus & Japhetus fratrem vi depellere, ut loco cederet, tentaverint.

§. XII.

*Quod Chami
delictum fue-
rit, exponitur.*

Meo itaque judicio optimum erit, ut literam sequamur, nec tantum nobis sumamus, ut ulterius, quam quod scriptum est, sapere velimus. Et profecto aliud delictum, quam quod scriptura designat, adferre, quid aliud est, quam ad incertas se recipere conjecturas? Ductum igitur sacrae Scripturae secuti dicimus: Noachum e vino, quod biberaf, ebrium factum indecoro corporis habitu, reiectis pudendis, in medio tabernaculo forte prolapsum obdormisse. Cum enim veteres in vestitu non uterentur caligis, sed talaribus & laxioribus indumentis, inde facile contingere poterat denudatio. In hoc statu parentem offendit Chamus filius natu minor, & vidi nuditatem



tem patris sui & nunciavit duobus suis fratribus in platea. Quemadmodum scriptura in narrationibus suis, etiam de rebus pudendis, pudice & caste semper loqui amat, quod in plerisque ejus phrasibus, quae ad eas res spectant, observari potest; sic etiam hoc loco fieri videmus. Quid enim hic & alibi sub nomine חָמֹן ervab intelligat, satis notum est. Nuditatem communii verbo appellat eas partes, quae honeste nominari non possunt & quarum etiam potissimum ratione erubuerint primi parentes nostri, cum post peccatum intellegissent, se esse nudos. In eo erat statu bonus senex, ut verecundia non tangeretur partibus illis denudatis. Chamo ergo intervenienti si tale quid accidisset in scio, quemadmodum de Acteone narrat poeta, quod

Inscius viderit sine veste Dianam

Praeda suis canibus nec minus illa fuit.

si oculos ab hoc spectaculo ipsi imprudenti objecto avertisset, nihil esset in eo, quod ipsi ad culpam imputaretur, sed illud וַיַּרְא & vidit, (sunt verba Riveti, quibus utimur) praesertim junctum sequentibus, indicat aspectum impudentem, irreverentem, & plane voluntarium, quo ad videndum subsistens, sciens & volens oculos suos hoc spectaculo pavit, otiose & attente spectans, atque adeo impudenter irridens. Huc accedit aliud pravi contortique ingenii indicium, cum non satis habeat ex pii patris dedecore animum oblectare, sed & eum apud fratres traducere allaboret. Quo ipso ejus delictum non parum aggravatur. Cum enim pavisset oculos suos hoc turpi spectaculo & Patri illusisset, voluit etiam eum apud fratres suos in contemptum adducere & ad patris irrisiōnem provocare. Quae non potuerunt proficisci, nisi ab odio vel contemptu jam concepto de suo parente, a

in Comment.
ad h. l.



mala proinde mente & malo animo. Probabile est, fuisse saepius a patre reprehensum, & jam occasione data voluisse ei insultare, & virtia sua tegere Patris infirmitatem propalando. Ideo Ambrosius *omnis* inquit, *improbus, quia ipse devius disciplinae est; aliorum lapsus non solum pro sui erroris solatio accipit, quod confortes invenerit culpae, verum etiam improbo laetatur affectu, tanquam sua ipse delicta correxit.*

§. XIII.

Oleum ergo atque operam perdunt, qui hoc Chami delictum multis verbis extenuare annituntur. Facit istud non solum Hermannus von der Hardt, cuius supra mentionem fecimus, utpote qui, si narratio Mosaica de Chami peccato ad literam intelligatur, se non perspicere posse ait, quod filii fuerit scelus, patrem videre nudum. Saltem ipsi tanti non fuisse videtur, ut ideo una cum posteritate paternam experiri juste potuerit maledictionem:

Verum etiam Juriaeus prolixam Chami defensionem hac ex parte in se suscipere non dubitat, ea potissimum fini, ut Chamum in sanctorum numerum referre atque pro Melchisedeco jure venditare possit. E quidem ab omni criminе Chamum liberare non audet. Nam ex hoc facto, quod Moses narrat, elucescere imprudentiam, reverentiae erga parentem neglectum, juvenilem petulantiam immo & inverecundiam. Interim tamen sibi persuadere non potest, hoc Chami delictum malitia aquare incestum Loti, adulterium atque homicidium Davidis, varia crimina Simsonis atque idololatriam Salomonis. Haec horum Virorum peccata non obstat, quin sancti & beati reputentur, habeanturque protypis & imaginibus Christi: Et quamvis sacra scriptura de poenitentia Loti & Salomonis nihil nobis revelaverit; nos ta-

*Bib. de Noe &
arca cap. 30.*

*Hoc delictum
esse lebisci-
mum, nonnulli
statuunt.*

I. c. Cap. XI.



tamen exinde non posse concludere, quod isti homines finaliter impoenitentes fuerint. Eadem ratione nullum adesse argumentum, quod nos inducat, ut credamus, Chamum veram poenitentiam non egisse, quamvis scriptura hac de re tacuerit.

§. XIV.

Verum enim vero ego valde dubitarem, an haec argumen-
ta a Juriaeo prolat a ad excusandum Chami delictum sufficiant. Sane non leve, uti vult Juriaeus, sed gravissi-
mum crimen fuisse videtur, quo Chamus se obstrinxit, si
attentius considereremus sumpiam animi malitiam, quae in
homine isto erga parentem se exeruit. Nolumus hic ea
repetere, quae supra in §. XII. a nobis dicta fuerunt, ubi
hocce Chami facinus sigillatim recensuimus. Ex ipsis
satis liquido constare arbitramur, illud factum esse indignis-
simum filio, quo oculus ejus meruit, ut effoderetur a cor-
vis vallis aut comederetur a juvenibus aquilis, uti Salo-
mon de iis, qui parentibus proterve illudunt, rite pro-
nuntiat. Profecto Juriaeus quarti praecepti parum me-
mor fuisse videtur, cum haec pro Chami defensione lite-
ris consignaret. Quemadmodum enim hoc praeceptum
primum est, Paulo Apostolo monente, cui Deus promis-
sionem adjunxit: sic etiam supremum Numen ejusdem vi-
olatores tum ipsos, tum eorum posteros omni tempore di-
ris poenis affect. Quae iustitia Dei jam tum temporis in
filii Noachi egregie demonstrata fuit. Quemadmodum
enim Sem & Japhet ob reverentiam patri exhibitam bene-
dictionem consecuti sunt; utique ob contrarium factum
Chamus maledictionem meruit, quippe qui patris nudita-
tem non texit, sed publicavit. Neque hoc Chamum ex-
cusat, quod Juriaeo afferente graviora aliorum in sacris li-
teris commemorentur peccata, qui ideo ex numero san-

*Horum argu-
menta sub exa-
men rebocan-
tur.*

Prob. XXX, 17.



ctorum non eliminantur. Nisi enim omnes circumstan-
tiae nobis fuerint exploratissimae, nobis hoc sumere non
possimus, ut hoc vel istud delictum invicem compare-
mus, & hoc vel illud gravius aut levius esse pro nostro ar-
bitrio decidamus. Siquidem ad tale quid dijudicandum
omnisciens Dei oculus requiratur, qui intimas humani cor-
dis latebras atque profundissimos recessus scrutari valet.
Hoc enim tam certum est, quam quod certissimum, su-
pernum Numen in judicandis actionibus nostris animum
potissimum, unde illæ proficiscantur, respicere. Cum i-
gitur imbecille nostrum judicium huc non pertingat, ab
eiusmodi judiciis & comparationibus actionum humana-
rum, quæ ad nos nihil pertinent, penitus abstinere tutissi-
mum arbitramur. Hinc saepius accidere videas, ut Deus
in certos homines, qui nobis tanti peccatores esse non vi-
dentur, multo gravius animadvertis, quam in alios, qui
ex nostra sententia gravissimas poenas commeruerunt.
Si quis verbi gratia delictum Regis Saulis atque Davidis se-
cum consideret, primo aspectu facile judicabit, peccatum
Regis Davidis multo atrocior esse, quam Saulis delictum.
Ille enim non tantum adulterium commiserat nefandum,
quo ipso jam proximum suum atrocissima injuria affe-
rat, sed præterea Virum innocentem, Virum fortissimum,
Virum saluti Regis & patriæ vitam & omnia bona, qui-
bus fruebatur, consecrante, insidiose, malitiose & tru-
culenter occidendum curaverat. E contra quid Saul fe-
cerat? Iste pepercerat pecoribus Amalecitarum. Quan-
tillum peccatum, si cum Davidis facinore comparemus!
Saul præterea speciosum habebat prætextum, nam ideo se
pepercisse pecuditestatur, ut Deo pro concessa victoria gra-
tias acturus opima Domino pecora sacrificaret. Sed ali-
ter judicat Iudex supremus. Ille noverat hypocrisin, ava-

ri-



titiam, fastum atque inobedientiam hujus superbi Reginis; hinc eum reprobans regnum ab ipso auferebat, cum e contra Davidi regnum contra aggressores ejus stabiliret. Quorsum igitur haec dispuo? ut inde pateat, judicium de gravitate vel levitate delictorum Deo instissimo judici esse relinquendum. Ut verò concedamus Iuriae, graviora Chami delicto peccata a sanctis saepe fuisse commissa, sed sciat eosdem quoque egisse poenitentiam, & ita locum inter sanctos, quo exciderant, recuperasse. Sed si ne dubio etiam Chamus, inquit Iuriae, egit poenitentiam. Cum vero hac de re scriptura taceat, nobis itidem de ea tacendum esse existimamus. Sed tacet quoque scriptura, sic pergit Iuriae, de salute Simsonis, Salomonis & Loti, sed respondemus, quod ad duos priores attinet, quoniam scriptura de eorum salute tacet, fuerunt inter Christianos ut Cyprianus, Augustinus, Chrysostomus, qui eos damnatos crediderunt, quamvis ab aliis haud contemnenda afferantur argumenta, quae contrarium evincant. Aliam Loti rationem esse dicimus, utpote qui dolo filiarum circumventus non ex malitia, sed ex infirmitate atque ignorantia peccaverit. Cum Chamus sciens ac volens & destinato consilio gravissimum erga parentem scelus admiserit.

§. XV.

Ceterum an hoc Chami delictum inter peccata typica sit referendum, id quod Iuriae itidem contendit, nolumus hic disputare, sed eam quaestionem Theologis relinquendam esse judicamus, quam etiam venerandus Theologus D. Buddeus in Dissertatione supra laudata de peccatis Typicis plene ac luculenter pertractavit. Illud potius observabimus, a Chami delicto Poëtas occasionem nactos esse fingendi legem a Saturno, quem eundem cum Noacho esse supra diximus, latam esse, qua sanctitur, ne quis Deos

*Cypr. lib. de uniuersitate Ecclesie
Auguſt. lib. contra Fauf. cap. 88.
Chrysost. T. V. Serm. de poenit.*

A Chamis delicto poetæ occasione nacti sunt fingendi legem a Saturno latam.



nudos impune contempletur. Proinde in Callimachi hymnis Minerva cum Tiresiam occaecasset, qui lavantem illam viderat, apud Tiresiae matrem factum ita excusat:

'Εγώ δ' ὅτοι τέκνον θῆκα ἀλαόν.

'Ου γὰς Αθανάσια γλυκεσὸν πίλει ὄμματα παίδων

'Αρπάζειν. Κρόνιοι δ' ὡδὲ λέγοντες νόμοι

'Ος κέ την αἴθανάτων, ἔκα μὴ Θεος αὐτος ἔληται,

'Αθρητον, μισθῷ τέπον ιδεῖν μεράλω.

Non per me perdidit ille oculos.

Nec mibi luminibus pueros orbare voluptas.

Ast a falcigero lex sene lata jubet.

Ut poena graviore luat, temeraria quisquis

Audet in invitatos lumina ferre Deos.

Qua poena Actaeon a affectus fuerit, propterea quod nudam Diana confixerat, supra mentio a nobis facta fuit.

S. XVI.

Hinc etiam Proverbium natum: *Verenda patrum detegere*, de iis, qui degeneres & immemores naturae patrum detegere. A Chami etiam delicto natum est proverbium, *verenda patrum detegere*, de iis, qui degeneres & immemores naturae patrum legum & honestatis, parentum, praceptorum, magistratus suorum &c. naevos & lapsus traducunt, & benefactoribus suis malam referunt gratiam; quod ingrati animi vitium omnibus seculis multa habuisse exempla & nostro hoc tempore frequens esse quotidiana proh dolor! probat experientia: Notum alias est celebre illud dictum Constantini apud Theodorem: *sacerdotum vitia non sunt populo aprienda, ne ille, inde causa scandali arrepta, audacter peccare aggrediatur.* Quin etiam hoc quoque eum adiecisse memorant, si suis oculis Episcopum, cum aliena uxore peccantem videret, se purpura sua facinus tectorum, ne intuitus ejus videntes offendiceret. Quis egregiam istam pietatem admirari nollet? Quod si adhuc hodie multi eadem mente praediti essent, quot quaeso scandala, quae variis temporibus con-

contigerunt, feliciter evitari poterant. Ex hac autem parte sine dubio in exercitio charitatis excedunt Pontificii insuis glossis, cum asserere non dubitent : *Quamvis tactus & oscula sint praeludia incontinentiae in Laicis, secus tamen est in Clericis, nam Clericus praesumitur ista facere pro charitate & bono zelo.* Sic Petrus Ravennas, extra, de immunitate Ecclesie. Item si *Clericus amplectitur mulierem, interpretatur, quod causa benedicendi eam hoc faciat.* Et ibidem in margine, *Clericus amplectens mulierem praesumitur bene agere.* Sed proverbium hoc eo usque etiam extendi non debet, quasi errores parentum & praeceptorum pro veritatibus amplecti teneamur. Sane nullam consequentiam inde deduci posse, quisque a studio partium alienus hanc difficulter intelligit. Nec solum pro nobis veritatem studio indefesso indagare debemus, verum etiam eandem adepti cum aliis quoque communicare possumus. Interim tamen illud probe observandum est, in ejusmodi occasionibus longissime a nobis abesse debere animum acerbum & studium errores una cum ipsis errantibus acriter perstringendi, nec non cupiditatem nosmet ipsos & nostram egregiam scientiam ostentandi, aliosque praenobis contemnendi, id quod a multis, qui studium veritatis undiquaque creantes sibi solis sapere videntur, fieri intelligas. Sed cogitent ejusmodi homines, hoc pacto veritatem magis impediri quam propagari. Si enim indolem animi humani perdiderint, ipsis fugere non poterat, hujusmodi satyricis & aculeatis scriptis homine non emendari, sed magis magisque exasperari multoque deteriores reddi. E contra si veritas nude proponatur, atque argumenta pro eadem humaniter urgeantur, ea sine dubio animis hominum multo facilius fere insinuabit. Egregia sunt praecepta a Iacobo Apostolo praecripta, quae omnibus in eruditorum classem se fer-

II. Quæst. 3.
Can.

referentibus etiam atque etiam commendata esse cupimus.

Jac. III. 13. ad Tίς οὐφός καὶ Πτοισήμων ἐν ὑμῖν; διεξάτω σὺ τῆς καλῆς ἀνασερ-
φῆς ταῦτα αὐτὰ ἐν προχύτη πορφίᾳ. Εἰ δὲ ζῆλον πικρὸν ἔχετε
καὶ ἔργα αὐτὰ ἐν τῇ καρδιᾷ ὑμῶν, μὴ καπακυχάθε τοι τούτην τὴν πατέρα

χαράνταν, ἀλλ' ὅπιγειν, Φυχινή, δαιμονιώδης. ἐπειδὴ ζῆλος τοι
ἔργα, καὶ αἰνατασιονά τοι πᾶν φαιλον περιγραμα. Ή δέ ἄνωθεν
πορφία πρώτων μὲν σύγνη ἐστιν, ἐπειδὴ εἰρηνική, θησαυρής, ἐυπεπίκης,

μετὰ ἐλέες τοι καρπῶν σύγαθῶν, αἰδιάνειρης τοι αἰνυποκερατη.

Καρπὸς δὲ τῆς διατασσούντος ἐν εἰρήνῃ πατέρετοι ποιεῖσθαι εἰρήνην.
Deinde illud quoque sedulo cavendum est, ne in refutandis

erroribus nimis praecipites simus, sed diu deliberemus de iis,
quae statuenda sunt semel, cum alias facile fieri possit, ut
veritates pro erroribus venditemus, in primis cum hoc ca-

cōethes multos hodie eruditos invaserit, ut magnam glo-
riam se consecutos esse sibi perfadeant, si novas, para-
doxas, quin etiam absurdas saepe opiniones in diem protule-
rint.

Quasi multa opinari & quovis doctrinae vento mox
huc mox illuc propelli egregia laus sit. Sic autem laureo-
lam in mustaceo quaerunt ex frivolis negotiis famam ca-

ptantes haut paeclarlam. Melius saepe sibi & reip. literariae consulerent, si non stātim, quicquid in buccas ve-
nerit, evomerent, sed potius per aliquod tempus se con-
tinerent, ut curis etiam posterioribus locus relinquere-
tur. Sed verendum est, ne ilia ipsis rumpantur. Semper

itaque absit mens improba, quae cum putat errasse sapien-
tem, insultandum arbitratur ei, cuius sibi putat mores es-
se contrarios. Huc pertinet, quod in oratione de invidia

scriptum reliquit Basilius: *Quemadmodum*, inquit, *vulnu-
res ad male olentia feruntur, amoena vero prata & sphae-
rolentia loca praetervolant: & muscae, quod sanum & inte-
grum est, praetereunt, ad morbida & ulcerosa se conserunt;*
*sic invidi ea, quae in vita clara sunt & gloriose gesta, non re-
spiciuntur.*

spiciunt, ac ea, quae vilia sunt, attendunt: si quid erratum sit
(qualia humana multa contingunt) id publicant & inde homi-
nes cognosci volunt. Sicut etiam imperiti pictores a nare di-
storta, vel acicatrice, vel alio quopiam vitio, quod vel natura
vel morbo interdum accidit, formas eorum, qui picti sunt, si-
gnificant & inde eos cognosci volunt.

§. XVII.

Exposuimus hactenus delictum Chami, superest, ut poe-
nam hoc delictum subsecutam paucis consideremus. Ete-
niam non impune tulit Chamus hanc proterviam, qua erga pa-
trem usus fuerat sed Noachus postea quam crapulam edormi-
verat, cognoscens quid sibi fecerit filius natu minor, ei ejus-
demque posteris maledixit. Solliciti sunt hoc loco interpre-
tes, qua ratione id cognoverit? Rabbini hic quoque fabulas
nibis obtrudere conantur, conjecturam enim comminiscun-
tur ejusmodi. Nempe Noachum in ipsa adhuc arca Chami li-
bidinosum animum arcam intempestiva Venere polluentis
notasse. Hinc expergefactum statim culpam ludibrii hujus in
eundem conjectisse. Hanc esse traditionem Magistrorum quo-
rundam, Rabbi Salomon Ephraim testari ait Heideggerus. A-
lli referente eodem Heideggero fingunt: per intuitum libidi-
nosum corporis Chami habitum plane immutatum esse, & o-
culos quidem factos rubicundos, detorta labia, capit is caesari-
em barbamque adustam, quin & nudum eum incessisse. Hinc
Noachum facile conjectasse, non aliud quam Chamum nefar-
ii hujus ludi auctorem esse. Sunt, qui ad divinam revelatio-
nem & spiritum propheticum recurrent. Sed quid opus est,
ubi occurrit communis ratio, qua id rescire potuit, ut ad mira-
culum configiamus? Quam maxime probabilis est senten-
tia Chrysoftomi, qui patri, cum se alieno pallio contectum vi-
deret, percontanti id significasse filios Semum & Japhetum
existimat, non accusandi gratia, sed rem, ut facta, docentes.

D 2

XVIII.

*Vnde Noachus
resciberit fa-
tum Chamii?*

*Hist. sacra pa-
triarchar. p. m.
627.*

§. XVIII.

Cur in Canaanem Noachus liberaserit e narrationem?

Ques. 57. in Gen.

Gen. X, 1.

1. Petr. III, 20.

Ipsa Noachi maledictio his verbis est concepta: אָרַרְךָ נֹחַ מִלְּמָדָה בְּבָרֵךְ עֲבָדֶךָ וְיִתְּהַלֵּךְ לְאַחֲרֵךָ Quod ad subiectum in hac propositione attinet, mirus est dissensus inter interpretes, cur in Canaanem pronuntiata sit execrabilis sententia, cum ex antecedente narratione satis constet, Chamum Canaanis patrem flagitium admisisse. Sunt, qui omissum in hac breviori narratione aliquid esse contendunt, id quod a lectoribus supplendum esse judicant, Canaanem scilicet Chami filium, primum avi verenda vidisse, & patri cachinnantem, quid vidisset, narrasse. Hoc a Iudeo se accepisse Theodoreetus testatur. Hunc enim Chami filium Canaanem patris fuisse simillimum, utpote quem in arca intempesta libidine concitatus procreaverit, quo tempore omnis concubitus fuerit illicitus, cum horrendum judicium, quod tum temporis DEUS exercuit, Noae ejusdemque toti familiae nil nisi sanctas jejunii atque poenitentiae cogitationes inspirare debuisset. Chamum igitur profanum ceu malum corvum nulla temporis ratione habita pessimum atq; petulantem filium Canaanem ceu malum ovum in arca genuisse, & hunc primum fuisse, qui dormienti Noacho detectis virilibus procaciter illuserit, ac mox patri suo Chamo indicaverit, qui cum debuisset filium objurgare, etiam ipse veniens viderit verenda patris nudata & cum irrisione fratribus suis Semo & Japheto illud nunciarit. Quod vero ad prius segmentum attinet, quasi Canaan a patre in arca procreatus fuerit, illud non tantum Moses refutat, quando de singulis tribus Noachi filiis disertis verbis testatur, eos post diluvium demum liberis procreandis operam dedisse. Verum etiam Apostolus Petrus idem confirmat, octo tantum animas in arca servatas esse docens. An vero Canaan saltem fuerit particeps delicti paterni, quod statum Noachi indecorum primus animadvertis id Chamo patri extra tabernaculum nuntiaverit

rit, illud tacente scriptura sacra in medio relinquimus, cum eadem facilitate, qua afferitur, iterum negari possit.

§. XIX.

Sunt inter quos Chrysostomus est, qui ideo Noachum noluisse in Chamum directe maledictionis diras ejaculari statuunt quia comprehensus fuerat sub ea Dei benedictione, qua post diluvium reliquias humani generis dignatus est. *Chrysostomi 5^a*
*aliorum bac
de resententia
affertur.*
 Quis vero dubitet quin communis benedictio propagationis & conservationis hominum stare potuerit cum subsequente Chami maledictione paterna, cum & crescere ac multiplicari potuisset super terram, & simul esse servus servorum, quod vel Judaeorum hodie constat exemplo. Quidam per Canaan intelligunt parentem Canaanis, ut subaudiatur nomen נָחֶם quia v. 25. dicitur frater Sem & Iapheti; quorū tamen ipsemet proprie loquendo non fuit frater. Quæ ratio non inconcinnia esset, si aliquo pacto posset probari, nomen Canaanis usurpatum fuisse in Genitivo. Sed id plane repugnat Grammaticae, quia nullum praefigitur nomen constructum. Lutherus noster statuit, quod Noachus tantopere execratus fuerit Chami factum, ut nec nomen ejus exprimere voluerit, sed maledixerit ei in nomine filii. Heideggerus solidissimam esse judicat responsionem Augustini non tam maledictionem, quam vaticinium in hisce Noachi verbis spectandum esse existimantis. *Quaeritur, inquit, quare cum peccans Cham in patris offensa, non in se ipso, sed in filio suo Canaan maledicitur? nisi prophetatum est, terram Canaan ejectis Cananeis inde & debellatis accepturos esse filios Israël, qui venient de semine Sem.* Sed dubitamus, an haec responsio omne dubium eximere valeat. Etsi enim non negetur, vaticinium quoque in Noachi verbis contineri; simul tamen causa istorum eventuum indicatur, maledictio Noachi, quam in poenam denuntiavit ei, qui peccaverat, Chamo, filioque ejus Canaani, licet non constet, an & quousq; hic patris se obstrinxerit scelere.

D 3

§. XX.

*Quest. 17. in
Gen.*



§. XX.

*Probabilissima
sententia pro-
ponitur.
In Comment.
adb. l.*

Optime nobis hunc nodum solvere videtur Jo. Clericus, qui duo in animum revocanda esse ait; primo parentes plecti posterorum poenis, quando eas vident, aut futuras sciunt, ideoque Chamum poenas Noacho dedisse violati pudoris, ab eo tempore, quo posteritati ejus maledixit. Deinde eos posteros non tulisse poenas proprie dictas peccati proavorum, sed propter sua ipsorum commissa, venditos fuisse aut occisione occisos. Quanquam enim posteri propter majorum peccata non plectantur, si proprie loquamur; attamen maiores posteriorum poenas aut praefentes aut futuras sine summa aegritudine animi videre aut timere non posse. Hisce tertium adjungendum esse putamus, Deum jus dominii plenissimum in rebus temporalibus habentem quævis bona sine ulla causa & quovis tempore auferre cuivis, quando vult, posse. Jam in maledictione Noachi nil aliud nisi poenas temporales, sterilitatem & servitutem adesse videmus. Quod si vero Deus id aliquando exercere potest in piorum liberos ad castigationem; cur posteritatem impiorum ad exemplum aliorum non poterit talibus poenis afficere, maxime si impii sint, quales fuerunt Chananaei. Si quis excipere velit, cur Chamo praefentes non infictae fuerint poenae, omissa ejus posteritate? Ille sciat, praefentes omnino fuisse, cum animo reputaret ex se oriundos olim servos Semi & Iapheti posteris futuros. Gravius enim id parentibus, quod liberi quam quod ipsi ferunt, ut a Chrysostomo recte dicitur, quocum consentit Plutarchus ἡ λυπὴν μάλαν εἴσει πόλαστρον, η τὸς εἰς ἐωτῶν κακὰ πίσχοντας διὰ αὐτὸς ὁρῶν. Nullum durius supplicium, quam eos, qui ex se sunt, ob se miseros spectare. Si quis urgeat, cur ex omnibus Chami filiis Canaanem potissimum haec maledictio ferierit, ille quæso recordetur, nos jam dixisse: DEum in hujusmodi temporalibus ex liberrimo arbitrio agere posse, hic enim valet dictum Apostoli: Μή ἐρεῖς τὸ πλάσμα τη̄ πλα-

*Homil. 29.
in Gen.*

*Rom. IX.
II. 12.*

πλάσαντι. η μὲ ἐποίους γέτε; η τὸν ἔχει ἐξόσιαν ὁ κεραυνός τὸν πῆλας ἐν τῷ αὐτῷ φυγήματι τηνόσαι, οὐδὲν εἰς λιμὴν σκένην, οὐδὲ εἰς αἴλυμα. Sed & alia gravissima ratio suppetit, Noachum scilicet spiritu propheticō praevidisse, Canaanem ejusque posteros fore gentem sceleratissimam atque impiissimam, ideoq; exosam Deo, maledictam execratamque & suis sedibus exterminandam; eos autem, qui relicti essent, servitio posteriorum Sem, i.e. Hebraeis mancipandos esse. Hoc inquam cum vidisset Noë spiritu propheticō sequens DEI sententiam, in Canaan praecipue Cananaeorum parentem maledictionem suam vibravit.

§. XXI.

Ut de ipsa maledictionis sententia ejusque effectu paulo penitus dispiciamus, supereft. Adhibet autem verbum אָרְרֵךְ, quod ex doctissimi Clerici sententia non modo de servi conditione, de qua mox, sed etiam de sobole ad paucos redacta intelligi posse videtur. Siquidem ut benedicere foecunditatem optare significet; sic maledicere esse sterilitatem & sobolis paucitatem vovere. Altera poena Canaani denunciata est servitus, quam his verbis ipsi comminatur: עָבֵד כְּבִירָה. *Servus servorum erit fratribus suis.* Quae phrasis est Ebraea per reduplicationem superlativum indicans, ut servus servorum sit servus abjectissimus & vilissimus. Complementum autem hujus comminationis fuit quidem dilatum, sed non ablatum eamque impletam fuisse in Gabaonitis Chrysostomus existimat. Genebrarius autem ait, propter eandem Cananaeos & plures Africæ populos à multis peregrinis Asiae & Europæ regibus sub jugum missos esse. Cum vero duabus vicibus tum in benedictione Semi, tum in benedictione Japheti haec servitutis denunciatio repetatur, maxime probabile est, in Semi posteris eam impletam fuisse, cum Cananaei amiserunt dominium terrae Canaan, & sub jugum Israëlitarum venerunt, in Japheti autem posteris eo tempore, quo Macedones & Romani Syriam & Palaestinam subegere, & cum iidem plerasque omnes Tyriorum & Sidoniorum colonias vestigales fecerunt, ac praeferunt quidem Romani, qui Africam, Hispaniam

Ipsa Noachi execratio pluribus excutitur.
L. c.

*Hom. 8. in
Matib. l. 1.
Chron. A. M.
1657.*

QK II; 393
32 DISPY

X3439427

32

DISPUTATIO DE CHAMO MALEDICTO.

Phaleg. L. I. c. 1. am & Siciliam Poenis refertas provincias habuerunt. Ceterum satis probabiliſ est conjectura Bocharti, nimirum conſuetudinem, quam non Romae ſolum & in Graecia, ſed & Babylone festo Saturni uſurpatam docet A-thenus ex Berulo, ἐπὶ τὸς ἀνετέλας, αὐτὸς τὰς ὅκετὰς ἀναδε-χομένης λειτεργίην. Ut ſervos convivio exciperent, & ſervilia minife-ria ipſi obirent, inde ortam eſſe, quod Noa Chamum execratus praedi-kerit fore ut ejus posteri eſſent ſervi ſervorum. Hinc enim Chami poſte-ros, quos Graeci poſtmodum & Romani imitati ſunt, ſeriam maledictio-nem convertere conatos eſſe in rem ludicram, quaſi oraculum hac ſervi-tutis imagine impleturi aut verius elufuri. Opinio autem eſt valde ri-di-cula recentioris cuiuſdam auctoris Joannis Ludovici Hannemannii, qui contendit, maledictionem NoaeChamo colorem nigrum conciliaſſe, inde-que colorem Abyssinorum eſſe, qui a Chamo originem duxerunt. Quam opinionem multis tueri conatur in libro, cui nome in diuidit, *curiosum* ſcrutinium nigredinis poſteriorum Chami, id eſt *Aethiopum*. Auctor vero ſine dubio exercitii magis cauſa quam ſerio hanc ſententiam ventilavit. Quod ſi enim Chamus per maledictionem Noae colorem nigro infuſcatus eſſet, ſique hunc colorem liberis ſuis una cum ſanguine impertiuiſſet, cur queſo non omnes, qui ab ipſo orti ſunt, nigri fuiffent? Cur in ſolos Abyssinos haec maledictio derivata eſſet? Cur denique Cananæi atque Phoenices, qui itidem a Chamo oriundi ſunt, hujus nigri coloris hereditatem non eſſent consecuti.

Tantum.

COROLLARIA.

- I. Chamum inter prophetas numerare ridiculum videtur Doctissimo Lambecio, propterea quod impius patris sui derisor fuerit. An vero haec ratio sufficiat, dubitamus, cum etiam impius Bileamus sine dubio propheta extiterit.
 - II. Judicium est intellectus non voluntatis.
 - III. Hinc etiam errores in intellectu non in voluntate esse judicamus.
 - IV. Totam angelorum & animae rationalis essentiam in cogitatione consistere & cogitationem ipsam esse spiritus substantiam nobis persuadere non possumus.
 - V. Plures a Deo mundos creari posse nullam in voluit contradictionem.





	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20
Centimetres	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20

Farbkarte #13

B.I.G.	Black																			
		3/Color																		
			White																	
				Magenta																
					Red															
						Yellow														
							Cyan													
								Green												

HISTORICO MORALIS
DE
AMO
EDICTO
A DEO PROPITIO
ATQVE
PHILOS. COLLEGIO
ANNVENTE
O LOCO
IQVANDO OBTINENDO
P. CALEND. APRIL.
LICE DEFENDET
PVS OLEARIVS,
LIPS.

I P S I A E,
MANUELIS TITUL.
Cis Icc VII.

LIBRÆ
BIBLIOTHECA
SICKAVIANA

